

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CV. Continens Disputationem Legisperiti, Qui Beatitudinem In Legis
Observatione Sitam Arbitrabatur: Sed Parabola Samaritani Christus
Diversum Evincit. Lucae 10 v. 25.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

cunt, ab extra quidem ipsum flere, ab intra autem urbis interitum velle & ordinasse. Deus clementer avertat, ne nostra Ecclesia in hanc Christi notitiam (vel ignorantiam potius) unquam consentiant. Nos potius in eo elaboremus, ut in ea Christi cognitione, quam nunc ipsius beneficio in nostris Ecclesiis habemus, constanter perseveremus, & in eadem crescamus ac proficiamus. Sed eam nemo habere potest, nisi cui Pater & filius revelarint, ut in precedentibus Christus dixit. Nam caro & sanguis talia non suggestur, ut Christus Petro dixit, Matth. 16. vers. 17. imo iudicium rationis, in cognitione Christi, sub ejus obsequium est captivandum. 2. Corinth. 10. vers. 5. Quod si Pontificii & Calviniani fateri addiscerent,

facilius de cognitione Christi nobiscum convehent. At necesse est, ut Pater, qui in cœlis est, illud revelet. Hoc vero non facit immediate, per aliquem arcanum & violentum raptum: sed mediate per verbum. Hoc enim est ministerium Spiritus sancti, per quod dat illuminatos oculos & fidem. Roman. 10. vers. 17. Auditui autem addenda sunt piæ preces, quibus Deum rogemus, ut det nobis vias suas agnoscere, & in illis ambulare. Nam qui petit, accipit: & qui querit inventit. Matth. 7. vers. 8. Ideo sapientia coelestis dicit Proverb. 8. vers. 17. Qui mane vigilant ad me, invenient me: & vers. 35. qui me invenerit, inveniet vitam, & hauiet salutem à Domino. Hæc de beatitudine discipulorum.

CAPUT CV.

CONTINENS DISPUTATIONEM LEGISPERITI, QUI BEATITUDINEM IN LEGIS OBSERVATIONE SITAM ARBITRABATUR: SED PARABOLA SAMARITANI CHRISTUS DIVERSUM EVINCIT.

LUCAE 10. v. 25.

RATIO ORDINIS.

Lxistimant quidam non posse certo constare, quo tempore & quo loco hæc historia acciderit: siquidem Lucas in hisce capitibus tantum miscellanea scripsit, & multa sine ordine commemoravit, prout memoria ipsius occurrerint. Quod ego non libenter affirmarem. Neque enim Spiritus sanctus, cuius ductu Lucas Evangelium suum scriptis, ἀναξιαν sed ἐναξιαν amat. Proinde hanc historiam præcedentem optimo ordine sequi, & sequentes convenientissimo ordine antecedere afferro. Nam & ipse Lucas continuationis notationem indicat particula, καὶ οὖτε, & ecce. Quasi diceret. Cum Dominus post redditum LXX. suorum discipulorum, rursus in publicum prodiisset: & primo quidem de effectu Evangelica sua prædicationis graviter disseruit: Postea vero cœlesti suo patri pro sui manifestatione ad salutem mundi ardentes gratias egisset: ac tandem seorsim, à multitidine plebis inconstantis aversus, & ad discipulos conversus, ipos & alios, qui non minus quam discipuli, oculos facultate illa Christum videndi præditos haberent, magno affectu *beatos* pronunciasset: atque hæc omnia tanta gravitate & maiestate peregisset, ut merito terri debuerint, qui haec tenus, propria sapientia fiducia inflati, se ipsi opposuerunt. Usque adeo tamen apud obstinatum Iudeorum Hierosolymitanorum turbam nihil profecit, ut ecce præter omnium expectationem legisperitus quispiam, contra Dominum de his tantis mysteriis differentem, insurgere, cumque captiosa quæstione aggredi ausus fuerit, si quo modo eum irretire & apud populum invisum reddere posset. Sic ergo ordinis notatio apud Evangelistam manifesta est.

Potest autem hæc ipsa confirmari altera notatio ex Christi ad legisperitum responsione de-

sumta, & ad superiorem disceptationem, quæ in templo acciderat, collata. In ea disceptatione Pharisæi Jesum convitio Samaritani notarant. Et illic quidem Jesus convitum illud dissimulavit: hic vero quasi causam ostendit, quare id fecerit. Quia nimurum sit perantiquus ille שָׂמָרְיָה Samaritanus & custos Israelis, qui nec dormiat, nec dormitet, Psalm. 121. v. 4. qui jam à multis seculis regoꝝ mores ipsorum patienter sufferre, Actoꝝ 13. vers. 18. & ignorantias tum gentilium tum Iudeorum ὑπεριδεῖν atque dissimulare coactus fuerit. Actoꝝ 17. vers. 30. Ettamen, nisi hic ipse, per convitum ab ipsis notatus Samaritanus, ipsorum & totius generis humani vulnera, infuso vino & oleo ligaret, in suum diverforium introduceret, ibique eorum curam agi curaret, de ipsorum salute in æternum actum esset. Hæc adhuc Hierosolymis subsistens legisperito huic & ipsius Collegiis, de Samaritani convitio objecto, in memoriam revocare voluit. Et quia simul meditabatur discessum ab Hierusalem in Jericho, apposite admodum hanc parabolam eodem direxit, eamque quasi valedictionis loco Hierosolymitanis post se reliquit, atque inde iter cum discipulis suis Jordaniem versus ingressus est.

Qui hoc modo Circumstantias omnes hujus historiae considerat & inter se confert, ille facile videt & tempus & locum, quando & ubi hæc acciderint: nimurum Hierosolymis, cum Dominus Jesus jam in procinctu stebat, inde discedere, atque Iudeorum furori adhuc ad tempus aliquod cedere vellet. Nec est dubium, quin hæc historia justum suum in Harmonia locum jam habeat.



Dispu-

DISPUTATIO CHRISTI CUM LEGISPERITO : ET PARA-
BOLA SAMARITANI. LUCÆ 10.

25. Καὶ ἴδιον, νομικὸς τις αὐτῶν, ἐπωτεράζων αὐτὸν, καὶ λέγον, Διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κλήρον σωμάτου;
26. Ο δὲ ἦντε πρὸς αὐτὸν, ἐν τῷ νόμῳ τι γέγραπται, πᾶς αιωνιώτερος.
27. Ο δὲ ὁπορθεῖς ἦντε, Αγαπήσεις κύριος, τὸν Θεόν τε εἶς ὅλην τὸν καρδίαν τοῦ, καὶ εἴς ὅλης τῆς ψυχῆς τοῦ, καὶ εἴς ὅλης τῆς σούχης τοῦ, καὶ εἴς ὅλης τῆς διανοίας τοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ὡς σεσωτόν.
28. Εἶπε δὲ ἀυτῷ, ὅρθως ἀπεπρίθης, τέλο τοιε, καὶ φέρε.
29. Ο δὲ θέλον δικαιοῦσιν ἑαυτὸν, ἐπει τῷ τὸν Ἰησοῦν, οὐ τί εἴσι μη πλησίον.
30. Ιπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησὺς ἤπει, Ανθρώπος τις κατέβασ-
μι ἀπὸ Ἱερουσαλήμ εἰς Ἱερουργίαν, καὶ λησταῖς περιπετεσσιν, καὶ εκδύσσοντες αὐτὸν, καὶ πληγάς ἐπιβάντες, απῆλθον, ἀφέντες ἡμιθάνη τυγχανούσα.
31. Κατὰ συγκρίσιν δὲ ἵερος τις κατέβαινεν ἐν τῷ ὁδῷ ἐκεῖνη, καὶ ἴδων αὐτὸν, ἀντιταρρίθη.
32. Οὐαίσι δὲ καὶ λευκίτης γενόμενος κατὰ τὸν τόπον, ἐλ-
θον καὶ ἴδων, αντιταρρίθη.
33. Σαμαρέτης δὲ τις ὥδεσσον, ἥδετε κατ' αὐτὸν, καὶ ἴδων αὐτὸν, ἐστραγγίνεσθη.
34. Καὶ προσεδόνιον κατέβισε τὰ πράντατα αὐτῷ ἐπι-
χών ἔλαιον καὶ οἴνον ἐπεισιστάσεις δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον
χῆραν, ἥγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον, καὶ ἐπεισελ-
θη αὐτῷ.
35. Καὶ ἐπὶ τὴν ἀνηρινήν εἰξελθὼν, ἐπεισλὼν δύο δημόρων ἔδω-
κε τῷ πανδοχῇ, καὶ ἐπει αὐτῷ, Ἐπιμελοῦσθη
αὐτῷ, καὶ ὁ τι ἀν προσδαπανήσῃς, εγὼ εἰ τῷ επα-
νερχεσθῶ με, ἀποδώσω σοι.
36. Τίς οὐκ ἤτεν τῷ τοιοῦν δοκεῖ τοι πλησίον γεγονέναι τοῦ
ἐμπεισούσθαι τοῦ ληστοῦ;
37. Ο δὲ ἤπει, Ο πλησίος τῷ ἔλει μετ' αὐτῷ. Εἶπεν οὐκ
αὐτῷ ὁ Ἰησὺς πορευόμενος εἰς τοιούς οἵσιοις.
25. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum & dicens, Magister, quid faciendo vitam eternam possideo?*
26. *At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? Quomodo legis?*
27. *Ille respondens dixit, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.*
28. *Dixitque illi, Reite respondisti, hoe fac & vives.*
29. *Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Iesum, Et quis est meus proximus?*
30. *Respondens autem Iesus, dixit, Homo quidam de-scendebat ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum vestibus, ac vulneribus inflictis, abiuerunt semimortuo relieto.*
31. *Accidit autem, ut sacerdos quidam descendet eadem via, & iisque illo preteriit.*
32. *Similiter & Levita, cum iret juxta locum, cum accessisset, ac vidisset eum, preteriit.*
33. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum, & vijo eo, misericordia mortis est.*
34. *Et accedens, obligavit vulnera ejus infundens oleum ac vinum: Imponens verò illum in suum jumentum, duxit in diversorium, & curam ejus egit.*
35. *Et postero die egrediens, depromptos duos denarios dedit hospiti, & ait ei. Curam illius habe, & quandoque, præterea in sumseris, ego cum rediero, reddam tibi.*
36. *Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?*
37. *At ille dixit, Qui exercuit misericordiam in illum. Ait igitur illi Iesus, Vade, & tu fac similiter.*

Periocha hujus disputationis.

Q uinam fuerint νομικοὶ seu Legisperiti, Cap. X. Harmonia indicatum est. Fuit apud Judæos peculiare Collegium, Sacerdotibus additum, ad quod dubii & graviores casus deferebantur, ut de illis ex lege DEI, quasi ex jure scripto respondeant: nec est dubium, quin fuerint peritiores & exercitatores ex ordine Pharisaorum & Scribarum. Ex horum numero fuit hic legisperitus, qui surrexit, & Christo se opposuit. Ex hoc verbo αὐτὸν surrexit, quidam colligunt hoc in Synagoga factum esse, ubi multis Doctoribus sedentibus, unus ex illis surrexerit, & contra Christum disputarit. Non sanè inepta est hæc conjectura: & tamen simpliciter etiam accipi potest secundum vulgarem usum hujus verbi, si quis adversus alterum sive verbis sive facto insurgat. Sicut usurpat Abdie v. 1. αὐτόντε, surgite, & confurgemus adversus eum in prælium. Itaque surgere dici possunt etiam illi, qui nec sedentes nec recumbentes, sed stantes adversus quempiam insurgunt, eique certamen movent. Estergo hic Legisperitus ex-

Harm. Tom. I.

emplum eorum, qui etiam hodie propriæ justitiae & eruditio[n]is opinione turgidi, in hac tam clara Evangelii luce doctrinæ veritatis usq; adeò non cedunt, ut quo magis expresso Dei verbo urgenter, eo magis contra insurgant & exasperentur, eo magis ferociant & præfactiores reddantur. Et si hoc ipsi DEI filio Evangelium regni predicanti, à Legisperito, qui præ reliquis Pharisaïs aliquid esse & videri volebant, accidit: quid mirum, si idem hodie Evangelicis Doctoribus à Jesuitis, qui & ipsi inter Romane Catholicos perfectiores haberi volunt, eveniat.

Questio autem hujus legisperiti diligenter est attendenda. Pro qualitate enim & forma quaestio[n]is, etiam responsio formatur: Sic autem quaerit: *Magister, quid faciendo vitam eternam possideo?* Pla sanè in speciem imò etiam per se necessaria quaestio. Hæc enim una & præcipua cura omnibus hominibus in hoc seculo incumbebat, ut veram rationem consequendæ vite aeternæ inquirerent. Hic verò Legisperitus interro-

B b b b gat,

gat, non discendi, sed tenetandi studio. Sperat enim fe ejusmodi responsionem elicere posse, quæ doctrinæ Mosis aduersetur, unde Dominum JESUM in invidiam & odium apud populum vocare possit. Sic enim ex præcedentibus infert. Tu JESU, qui Magistri & Doctoris titulo apud plebem gaudes, tuos discipulos beatos prædicas, & ipsorum nomina in cœlo scripta esse testaris, hoc nomine, quia te videant & audiant, hoc est, tua doctrinæ cognitione fruantur. Ego certè meique collegæ quoque quærimus vitam beatam. Habemus quoque legem Mosis, quam DEUS ipse, postquam beatitudine excidimus, nobis dedit, ut per eam nobis monstraret viam ad vitam æternam. Nec dubitamus, quin si faciendo præstemos ea quæ sunt legis divina, etiam nostra nomina adscripta sint in cœlis. Aut num tu novam, meliorem aut compendio siorem viam & rationem consequenda æternæ vitæ docere potes? Movere debet hoc exemplum legis periti, ut quod ipse malo dolegit, omnes Christiani serio faciant. Cum enim in hoc mundo omnia sint fluxa & caduca, & omnes dies nostri in terra sint umbra. Joh. 8. v. 9. utiq; de eo cogitare debemus, ut hinc decedentes perveniamus ad eum, qui idem ipse semper est, & cuius anni non deficiunt. Psal. 10. v. 28.

Christus qui semper paratus fuit ad respondendum cuivis, etiam hunc legis peritum non sine responso dimittit. Non autem eum remittit ad traditiones Patrum, non ad sanctiones Synedrii Hierosolymitani: sed ad scripturam sacram, ad verbum DEI. In lege quid scriptum est? quomodo legis? Docens manifestissimè, in quaestione de vita æterna, non attendendum esse ad traditiones humanas, ad decreta Pontificum, ad Canones Conciliorum: sed tantum ad scripturam sacram. Unde Christus ipse dixit: Joh. 5. v. 39. Scrutamini scripturas: quia vos putatis in illis vos vitam æternam habere.

Legisperitus ad legem remissus, ex lege scite & perite responderet. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum. Duo sunt præcepta (neque enim DEUS suos præceptorum multitudine gravat) in quibus continetur piè & recte vivendi regula, duobus membris comprehensa, dilectione nimirum DEI & Proximi. Nam & Christus ipse Matt. 22. v. 40. testatur ex his duobus præceptis, quorum prius legitur Deut. 6. v. 5. posterius desumitur ex Levit. 19. v. 13. totam legem & omnes Prophetas dependere. Utrumque ergo præceptum prius expendamus, quam ad præsentem quaestionem accommodemus. In priori præcepto duo nobis præscribuntur. 1. Ipsa dilectio DEI. 2. Modus ipsum diligendi. 1. Quo ad primum dicit legis peritus ex lege. Diliges Dominum Deum tuum. Posset quidem Deus multa exigere à nobis: sed unum hunc animæ affectum à nobis requirit, quia (ut Augustinus sentit) solus amor is est, in quo creatura suo creatori aliquo modo respondere, & vicem (licet non ex æquo) reddere potest. Cæteris enim in rebus, quid illi simile referre queat? Creavit te, num tu illum vicissim creare potes? Redemite, servat incolumen, innumeris item quotidie beneficij ornat, ab innumeris item pe-

riculistum corporis tum animæ servat & liberatum tu horum aliquid in illum conferre potes? Potes tamen utcunque ejus in te dilectioni respondere, dum diligentem vicissim diligis, & amantem redamas. Causæ autem, ob quas ad DEUM diligendum obstricti sumus, præcipua sunt, ipsius tum in se bonitas, tum erga nos benignitas & beneficentia. Cum enim humana voluntas ab authore naturæ ita instituta sit, ut nihil nisi quod bonum est & boni speciem præ se fert, amare queat. (Bonum enim est voluntatis objectum, sicuti color visus.) Consequens est, ut illa non modo in bonum referatur, sed etiam ut quo aliquid majori bonitatis laude præcellit, eo majoris dilectionis affectu in illud concitari debeat. Extra omnem autem controversiam DEUS est optimus Maximus, vel ipso Christo teste, Marci 10. v. 18. Nemo bonus, nisi unus DEUS. Omnino itaque ipse præ omnibus aliis diligi debet. Si quis verò beneficia DEI, tum communia, quæ in universum genus hominum collata sunt, tum privata, quæ signillatim quisque à DEO percipit, sibi ante oculos ponat, impossibile est, quo minus quis in liberalissimi hujus benefactoris amorem exardescat. Scite à quodam dictum est: Qui beneficia invenit, compedes invenit. Innovere nimis voluit, beneficiarii animum benefactori ceu vinculo quadam devinciri. DEI autem beneficia erga nos quis enumerabit? Certè si amor amore compendianus est: majorem hac dilectionem nemo habet, quam qui filium pro hostiis in mortem dedit. Si amor pretio emi debet, quis quæso maius precium pro illo impedit, quam qui vitam æternam pollicetur? Siverò gratis sit donandus, cui quæso dignius ille impeditur, quam Creatori, Redemtori, Sanctificatori: Quid ergò supereft, quam ut cum Augustino quis dicat: Quis ego sum Domine, ut te à me amari jubeas, & nisi id fecero, mineris mihi ingentes miseras? Parvane hæc est ipsa miseria, si non amem te? Revera non pro homine naturæ nostræ participe, sed pro portento omnis humanitatis expertè haberi debet, qui non toto pectore te amat. Hinc Apostolus Paulus hoc aeternæ excommunicationis fulmen ejaculatur, 1. Cor. 16. v. 22. Si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, (Hic enim est Dominus Deus noster, per quem creati & redemti sumus, qui etiam nos beatos faciet) sit anathema, marranatha.

2. Modum dilectionis, quo DEUM diligere debemus, lex his verbis exprimit: ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua. Hic quidam argute philosophantur & disputant, quomodo haec quatuor partes seu membra sint explicanda, & inter hominis facultates distribuenda? Quomodo item diversi Scripturarum loci, in quibus hoc præceptum allegatur, & in quibusdam tantum duo, in quibusdam tantum tria, in quibusdam vero omnia quatuor membra modi dilectionis DEI adducuntur, sint conciliandi? Hinc Augustinus cor refert ad cogitationes, animam ad vitam, mentem ad intellectum. Gregorius Nissenus refert cor ad animam vegetabilem, animam ad sensitivam, mentem ad intellectualem; ut sic significetur, ad DEUM refer-

ferendum esse, quod nutrimur, quod sentimus, quod intelligimus. Alii per cor intelligent voluntatem, & per reliqua tria membra tria actionum principia, quae à voluntate moventur: ut per mentem ipsum intellectum, per animam appetitum interiorem, per virtutem vel fortitudinem vim executivam exteriorem. Alii aliter hæc membra explicant, & quisque vires sui ingenii intendit, ut peculiarem & ab aliis discrepantem sententiam proferat: atque sic genuinum sensum hujus divini precepti plus intricare quam explicare loorent. Quid enim opus est tam arguta Philosophia, cum res per se plana & expedita sit? quod nimis Deus docere & precipere voluerit, scilicet, tanquam authorem cordis, vita, anima & omnium virium nostrarum, præ omnibus aliis & rebus & hominibus deligendum esse. Cæteris enim hominibus, sive parentibus, sive fratribus, sive liberis, sive amicis, nos debere singula: sibi autem nos debere omnia, quandoquidem omnia ab ipso accepimus. Quapropter sicuti in scriptura tantum legimus, diliges Dominum Deum tuum ex corde, ibi non minus nobis præceptum esse intelligamus, quam ubi etiam reliqua membra adjiciuntur. Qui enim totum cor requirit, is intellectum, voluntatem & reliquas vires non excludit, sed simul complectitur. Ut ita dubium non sit, si reliqua membra, sive duo sive plura adjiciantur, illatantum Emphasis & uberioris declarationis causa addi.

Sensus autem ut plurimum hic est. Nos homines debemus Deum diligere, non labiis & ore, non lingua & verbo, sed ex corde, & illo quidem non dimidiato, non diviso, vel doloſo, sed ex corde, integro & perfecto. Ut vero illud praestemus, debemus indeſinenter expendere summam ipsius & inexplicabilem bonitatem erga totum genus humanum, & innumera illa beneficia, quibus nos quotidie, quoad corpus & animam, privatim afficit. Horum consideratione sic toti in ipsius, tanquam summi boni amore, feramur, ut nihil in amore ipsi præponamus, nihil ad amoris societatem, multo minus æqualitatem, admittamus, ipsum solum præ omnibus intime amemus: si quid vero præterea diligamus, faciamus illud, & propter ipsum, & juxta ipsum voluntatem. Deinde diligere debemus ipsum ex tota mente, ut ea semper animo & cogitatione veremus, quæ affectionem nostrum in ejus dilectione accendere possint: ut in omnibus nostris operibus ipsum unum cogitemus, ipsum omnium actionum & studiorum nostrorum finem unicum præstitutum habeamus, semper sollicitè cogitantes de ipsis mandatis, carentes ne eorum obliviscamur, sed in lege ejus meditemur die ac nocte. In super diligere eum debemus ex tota anima, ut studiose exequi conemur, quæcumque intelligimus ipsi grata esse, simus parati propter ipsum tantum omnium temporalium bonorum, sed etiam ipsius vita, si res ita exegerit, jacturam facere: viciissim, quæ ipsi ingrata esse intellexerimus, perfecto odio prolequamur, nec ulla alia re tantopere discruciemur, quam si cognoscamus, vel à nobis vel ab aliis, ipsius voluntati non perfectè obsecundari. Denique diligere debemus Deum, ex tota virtute, vel ex omnibus viribus, hoc est, adeo constanter, ut nullis

Harm. Tom. I.

minis, nullis calamitatibus aut incommodis ita perturbemur, ut ab ipso nos unquam ulla ratione divelli partiamur: omnes item animæ vires, omnes quoque corporis sensus, atque membra omnia, quæ à Deo condita sunt, suo unumquodmodo modo conditoris dilectioni inserviant. Oculi miranda Dei opera, cœlos, solem, lunam, stellas, clarissima divinitatis ejus monumenta, insuper etiam quotidiana ipsius judicia, quibus peccata mundi persequitur, intueantur: aures pie & attente Domini sui docentis & præcipientis verba audiant: os in laudes Domini Creatoris, Redemptoris & Sanctificatoris sui resolvatur. Quid enim Deo tuo præter laudem & honorem optare & rependere potes? Manus operentur opera Dei: pedes expediti sint ad currēdām viam mandatorum ipsius: affectus vero omnes à terrenarum rerum cupiditate abduci, ad cœlestium amorem traducantur: ac denique quicquid intra nos est, id omne Dei obsequio mancipetur. Quia enim ipse quicquid in nobis est condidit: jure creationis optimo etiam omnia, quæ habemus, ipsi debentur. Hoc modo qui dilectionem Dei expedit, ille non magnopere laborabit, quomodo quatuor illa membra, cor, animam, mentem, vires, inter se ordinat & disponat: si quidem videt se omnia, quæcumque habet, novit, intelligit, assentitur, Deo suo debere. Neque quicquam in toto terrarum orbe existere, quod ratione dilectionis Deo præferrre debeat.

Unica collatione hoc illustrare conabimur. Certum est, si singuli homines interrogentur, quid in toto orbe ipsis charissimum sit, singulos reponentes, se vitam seu animam suam supra omnia diligere. Ea enim est, cuius tuenda culpa non raro matres repudiato naturæ sensu ex filiorum carnibus sibi cibos paraverunt. Ea est, quæ homini esse, quæ vivere, quæ sentire, quæ moveri, quæ intelligere, quæ denique lucem, vitam, opes, dominiumque rerum suarum tribuit. Adeò ut si quis vel totius mundi imperio potiatur, eo ipso tam diutius non potiatur, quam quādiu animam habet: hoc qui defititatur, qui modo Imperator erat, mox in horridum cadaver vel sterquilinum potius convertatur. Si ergo homo animam suam tantopere diligit, cur non magis dilit Deum, à quo animam ipsam habet, & majora, quam sit ipsa anima, expectat? Ipse certè animæ tuae anima, & vita tua vita est: ipse penitus intra te, quam anima tua, latet: ipse animæ tuae tribuit quicquid ipsa in te operatur. Per ipsum enim es, per ipsum vivis, per illum sentis, moveris, intelligis. Actor. 17. v. 28. plus quam per ipsam animam tuam. Hæc qui vel mediocriter saltem perpendit, is agnoscat, non temere modo à nobis dictum esse, plus quam portento similem esse illum hominem, qui Deum suum creatorem, redemptorem & sanctificatorem non serio diligat. At vero (quod tamen sine dolore ne cogitari quidem potest) hujusmodi portentorum totus mundus plenus est. Omnes enim qui pecuniam, qui honores, qui delicias, qui voluptates, qui denique cupiditates suas Deo præferunt, illi planè horribilia ista monstrâ sunt. Quotiescumque enim quispiam vel aura popularis, vel pecuniae, vel voluntatis alicuius, aut odii, aut vindictæ cupiditate inductus,

B b b b z

ductus, divinas leges violare, & in divinæ majestatis offensionem incurre, sicutque Dei gratiam amittere non veretur, annon talis re ipsa testatur, se turpes lordes, & terrenum pulverem divina majestatis amori & amplitudini anteferre? O horrendum monstrum! o nefandum facinus sempiterno supplicio, & sempiternis ignibus ultricibus merito vindicandum! Hæc de dilectione Dei dicens fuerunt.

Posteriori præceptum est de dilectione proximi: *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi itidem duo nobis præscribuntur. 1. Ipsa dilectio proximi. 2. Modus ipsum diligendi. 1. Quoad primum, verba plana sunt: *diliges proximum.* Ubi quid proximi nomine accipiendum sit, si lector novisile velit, non tantum recurrat ad tertiam pericopen LI. cap. hujus Harmonia: sed etiam sequentem parabolam Samaritani intueatur, qua disertè monet, quod proximi nomine, non intelligantur vicini, agnati, cognati vel consanguinei, sed omnes homines, cujuscunque conditionis, sexus vel nationis, in quos nos incidimus, vel quos Deus & fortuna (ut vulgo loquuntur) nobis offerunt, & qui nostra ope nostrove auxilio indigent. 2. Quoad modum dilectionis, ille à Deo adeò planus & expeditus præscribitur, ut nullis commentariis ad ejus intelligentiam indigeamus. Quisquatum in se ipsum descendat, & perpendat qualiter se ipsum diligit, illudque erga proximum etiam exequatur, tum res omnis erit expedita. Lex enim dicit: *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quomodo autem diligis te ipsum? 1. Non simulate, nec lingua tantum, sed verè, ex animo & opere. 2. Non frigidè, sed ardenter. 3. Propriis commodis studes, & mala pro virili avertis. 4. Diligis etiam te ipsum constanter. Neque enim amando defatigaris, licet multa viti tibi insint, quæ odiū potius quam amorem merentur. Eodem ergo amore etiam proximum prosequere: ut eum non fucato animo, non perfunctoriè, sed ardentijuvandi studio ames: ejus commoda ratione quacunque potes promoveas: neque etiam vitiis & defectibus ipsius ab amore te absterrei patiaris, quin potius errata ipsius pallio charitatis contegas, eademque aut pie diffimiles, aut corrigerē studeas. Operit enim dilectio multitudinem peccatorum. Proverb. 10. v. 12. & 1. Petr. 4. v. 8. 5. Denique quemadmodum tibi ipsi benè esse cupis ob tuam ipsius utilitatem ac salutem, & non ob alterius: ita etiam proximo tuo benè velis, non propter tuam, sed propter ipsius utilitatem & salutem. Scholastici dixerunt: proximum diligendum esse, amore sincero: amore gratuito: amore recto & non ad propria commoda reflexo: amore integro: amore fructuoso: amore discreto, qui personas diligit, vitia eorum persequeatur: & denique amore perseverantia. Hæc sufficere possunt ad duorum horum præceptorum expositionem.

Sed audiamus etiam quomodo Christus hanc Legisperiti responsionem exceperit. Eam approbat, & dicit: *rectè respondisti.* Nam & ipse infra testabitur totam Legem & Prophetas ex his duabus præcepis pendere. Sed addit: *fac hoc, & vivas,* eum ad observationem horum præceptorum exhortans. Neque enim cognitionis legis sufficit,

sed ejus observatio requiritur. Unde & Jacobus dicit, cap. 1. v. 22. *Estote factores verbi, non auditores tantum.* Hic verò exclamat Jesuita. Auditæ vos Lutherani: Christus Dominus non dicit, Crede, & vivas: sed dicit: *Fac hoc.* Facta opera, legis observantiam & non fidem requirit. Hoc enim est artificium Jesuiticum, quod plerunque unum aliqd vocabulum arripiunt, quod suæ scenæ inservire arbitrantur, & inde conantur extruere propugnacula, quibus perpetuum doctrinæ Christi consensum oppugnent. Idem etiam hic faciunt. Ut verò fideles Christiani, qui verum fundamentum tueri cupiunt, à novitiis hisce Rabbinis sibi caveant, ad sequentia ipsos attendere decet. Dominus noster Jesus Christus, quoties docuit de via ad salutem live ad vitam æternam, toties attente observavit, qualesnam habeat auditores: & tum pro diversitate auditorum diversimode ipsos instituit. Si quando ejusmodi habuit auditores, qui jam ante sensu suorum peccatorum erant contriti, & serio ac simplici studio diserte cupiebant viam salutis, tum semper & omni tempore eam directe & monstravit in fide. Sic Nicodemo, qui indagandæ veritatis studio motus noctu JESU M accessit, dixit: qui credit in filium Dei, non peribit, sed habet vitam æternam. Johan. 3. v. 16. Eodem modo Johannis 5. v. 24. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & non venit in judicium, sed transit à morte ad vitam. Johan. 6. v. 40. Hæc voluntas ejus qui misit me Pater, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi in Evangelio quoties recurrit illud dictum? Fides tua te salvum fecit. Matth. 9. v. 22. Marc. 5. v. 34. & 10. v. 52. Luc. 7. v. 50. & 8. v. 48. & 17. v. 29. & 18. v. 24. Eodem modo etiam Apostoli homines instituerunt. Cum Actor. 16. v. 30. Philippis custos carceris interrogaret: Quid oportet me facere, ut salvus fiam? Responderunt ei Paulus & Silas, crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua. Sin Christus auditores habuit hypocritas, rentatores, opinione propria justitiae turgidos & superbos, tum ipsos remisit ad legem. Sicut id non tantum hic fecit, verum etiam alibi.

Quid ergo, dicat quis: Num Christus est incontans Doctor? qui ipse sibi contradicit, & plures quam unam viam ad salutem monstrat? aut, num ludicrat homines? Absit ut tale quid de Christo Salvatore cogitemus. Sed vult Christus suis discipulis & ministris ostendere practicam secundi usus legis divinae, quem hadet illa in justificandis. Qui est, homines adducere ad agnitionem sue miseriae & imbecillitatis, ut agnolcant justitiam extra le esse querendam. De hoc usu legis etiam agit Paulus Roman. 3. v. 20. per legem agnitione peccati. Et ad Galat. 3. v. 19. Propter transgressionem data est lex. Sicut enim phrenetici ludunt imaginationibus, quasi egregiè valeant, & propterea admittere nolunt medicinam. Tales autem, ut ad agnitionem morbi medicus adducat, jubet ambulare, operas vocationis peragere, ut sic facto ipso suam infirmitatem agnoscent. Sic etiam in Ecclesia semper sunt phrenetici, qui sibi ipsis, se probè justos esse, persuadent: talibus non salu-

salubriter adhibetur medicina illa Evangelica: confide fili, remissa sunt tibi peccata, aut: fides tuate salvum fecit. Sed speculum legis ipsi est proponendum, quod ostendat ipsi suam infirmitatem & impossibilitatem, quod insuper magnitudinem & abominationem peccati, iten combinaciones de ira Dei & pœnis peccati addat, ut sic peccatum fiat excellenter peccatum per legem, & homo incipiat circumspicere de Medico vulnera sua sanante. Hoc modo lex (juxta doctrinam Pauli Galat. 3. v. 24.) fit nos tibi pædagogus ad Christum.

Cum ergo hic Legisperitus quoque fuerit talis phreneticus, qui non minus quam alii Pharisæi Luca 18. v. 9. confidebat in se, quod esset justus, & parvulos Christi discipulos juxta se aspernabatur: qui non interrogabat tanquam peccator, sed tanquam justus: qui confidebat, se ultra legis præcepta insuper aliud quid adjicere posse: ideo Christus, ut ipsi commonstret suam infirmitatem, eum ad legem remittit, innuens, siquidem faciendo vitam æternam postulare cupiat, ipsum meliora & præstantiora opera invenire non posse, quam quæ in lege Domini sint præscripta. Non autem dicit Christus, quod Legisperitus opera illa Legis perfectè præstare possit: multo minus dicit, quod per illa opera vitam æternam consequi possit: quin potius contrarium evincet, hunc nimurum Legisperitum a luci adeo procul abesse à perfectione legis, ut non dum norit, quis suis sit proximus, ne dum ut illum dilexit sicut seipsum. Si autem non dilexit proximum, quem videt: quomodo dicere poterit se dilexisse Deum quem non videt? 1. Joh. 4. v. 20. Mancetur ergo verum, quod Christus discipulis dixit: *beatusculi, qui vident, quæ vos videte.*

Ex his verus sensus colligitur, quomodo intelligendum sit, quod Christus Legisperitum ad legem remisit. Et hæc est methodus verè Prophætica à Deo Iesaiæ 40. v. 4. præscripta, qua præcipitur, ut sublimia humilientur: & postea humilla corda firma consolatione Evangelii rursum erigantur. Si Legisperitus ex humili corde serio quæsivisset, qua ratione vita æterna particeps fieri possit, etiam via ipsi monstrata fuisset per fidem Evangelii. Quia vero elato corde querit, quasi illam beatitudinis viam rejecturus, quam Christus in præcedentibus verbis discipulis suis proposuerat, etiam responsum tulit sua vesania dignum. Quasi diceret Christus: Ah miser homo, tunc per legis opera faciendo vitam æternam consequi velles, qui legem ne minimo quidem digitulo servando attigisti? tu quidem inflatus es & turges eo nomine, ac si legem plenè servasses. Ego vero re ipsa commonstrabo, te legi usque adeo non satisfecisse, ut ne quidem noris quis proximus tuus sit, nedum quod eum diligendo legem impleveris. Ac proinde tu faciens non consequeris vitam æternam, sed indigebis, non minus quam alii homines, Samaritano, qui vulnera tua liget & sanet, si vari velis.

Hunc verum & genuinum hujus loci sensum esse, confirmat ipse Evangelista, dum affirmat, Legisperitus voluisse seipsum justificare, hoc est,

Harm. Tom. L

seipsum justum probare, ac testificare, sibi ipsi laudem justitiae tribuere & arrogare, tanquam qui hanc legis summam strictè observasset. Ac propterea interrogasse, quis est meus proximus? Hæc quæstio non caret acerbitate & amarulentia. Vult enim dicere: Tu jubes me facere, quæ in lege sunt præscripta. Atqui Ego dudum hæc omnia præstavi DEO enim uni adhæreo, eum pro virili colo, i-dola omnia abominor & detestor: diligo item non tantum propinquos & amicos, sed & omnes gentis meæ homines. Neminem percutio: omnibus do bona verba. Nemo de me conqueri potest. Quid ergo ulterius desideras? annon putas me hac ratione vitam & salutem æternam promeruisse? Nisi forte tu alios proximos mihi monstres quos ego nullos novi, nec alii Judæi noverrunt, utpote quos DEUS ipse ab aliis gentibus discreverit. Cum ergo hac ratione vitam æternam consequi queam, quid opus est nova tua doctrina, qua mei & aliorum oculi beatitudo reddantur. Hoc est illud supercilium Pharisaicum, quod Christus pressiore legis observatione reprimere voluit, ut intelligeret, opera se non juvare, cum non perfette legi satisfecerit. Theophylacti sententia remotor est, qui querit emphasis in pronominè meus, quasi se omnibus aliis longè justiorum monstrare voluerit, ut qui nullum in virtute & justitia sibi proximum habeat.

Quidam veterum dixerunt, duplēcē esse viam ad vitam æternam, unam innocentia, alteram penitentia: & perinde esse utram qui monstrat inquirenti de ea. Proinde Christum Legisperito monstrasse viam innocentia. Hanc distinctionem non improbabō, si quis vicissim mihi concedat, viam innocentia jam post lapsum neminem hominum (Christo excepto) ambulasse: ac proinde Christum etiam huic legisperito impossibilitatem illius viæ præmonstrasse. Sed Pontificiorum quidam, in primis autem Jesuitæ, sub hoc integrum aliud querunt: quod etiam prouident eo, quia Luthero nostro hoc nomine litem movent, quod is docuerit horum duorum præceptorum observationem omnibus hominibus esse impossibilem. Idecirò quidam ipsorum (quosdam dico: quia nonnulli eorum nobiscum consentiunt in eo), quod nemo hominum in hac vita perfectè Deum diligt scribunt: præceptum de diligendo Deo, non obligare ad perfectissimam dilectionem, cum ea tantum præcipiatur dilectio, quam vires nostræ fuerint, & proinde quæ nobis possibilis est. Ideoque etiam illa verba, diliges Dominum Deum tuum, ex omnibus viribus, sic interpretantur, ac si dictum esset, pro virili: ut si quis totis viribus in rem aliquam incumbat, pro virili rei operam dedisse dicatur. Adducunt etiam exemplum eorum, qui ex toto corde Deum secuti, & quod placitum est in conspectu ejus fecisse dicuntur: utpote Davidis: 1. Reg. 14. 8. Asæ. 2. Par. 15, 12. Josia 2. Reg. 23. v. 25. Horum erroneæ opinioni 1. opponenda sunt illa scriptura testimonia, quæ manifestè affirmant legem Dei, & sic etiam duo hæc præcepta, perpetuam & tam perfectam requiri obedientiam, cuius impletio in hac vita omnibus hominibus sit impossibilis. Christus dicit Judæis Johan. 7. v. 19. Moses dedit vobis legem & nemo ex vobis facit legem. Stephanus iisdem dixit,

Bbbb 3

dixit, Acto. 7. v. 53. Accepisti legem per dispositionem Angelorum, & eam non custodistis. Act. 13. v. 38. Paulus testatur, per Christum peccatorum remissionem annunciar, & ab omnibus quibus in lege Moysi non possimus justificari. Acto. 15. v. 10. Petrus legem vocat jugum, quod neque ipsi neque patres portare potuerint. Roman. 8. v. 3. Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, hoc Deus præstítit missio proprio filio. Galat. 3. v. 21. Non data est lex, quæ possit vivificare. Hæc testimonia plana sunt & aperta, eaque sufficienter demonstrant, neminem hominum, neque per viam innocentie neque per viam legis ad vitam æternam pervenire posse. Hoc enim si nobis factu possibile esset, frustra filius Dei in hunc mundum missus fuisset. Quis ergo statuet hunc legisperitum solum illa prærogativa gaudere, quod per observationem præceptorum legis in cœlum pervenerit?

2. Deinde negari non potest, in quibusdam scripturæ locis phrasin illam, *ex toto corde*, opponi hypocrisi & externæ simulationi, in peculiari aliqua obedientia. Nam hypocris omniem Deus abominatur, Psalm. 12. v. 3. corde & corde locuti sunt. Jacob. 1. v. 8. vocatur *aväng d'ivux* *G.* vir dupli animo. Et quod tali modo phrasis illa accipi debeat, patet ex 1. Par. 12. ubi v. 33. dicuntur in prælium exiisse non dupli corde: mox autem v. 38. eadem phrasis exponitur, quod fuerint expediti ad pugnandum *corde perfecto*. In hac significatione si intelligatur præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde*, tum dicemus, non tantum Davidem, Asam, & Josiam, sed etiam omnes renatos Deum extoto corde diligere: si quidem omnino illi nullam habent externam hypocrisi operum, sed Spiritus sanctus ita renovat ipsorum mentem, creat cor novum, ut sint zelota. Tit. 2. v. 14. Sed D. Apostolus Paulus, qui est certissimus voluntatis divina interpres, illam appendicem legis, *ex toto corde*, longè aliter exponit, Roman. 7. Ubi sumit explicationem ex ipsa legi, *non concupisces*, & longa querela affirmat, Legem non tantum zelum dilectionis & bonorum operum, sed omnino spiritualem obedientiam requirere, quam nec ipse, licet renatus, præstare possit, nec alii homines: quia sit carnalis, venundatus sub peccatum. Huic expositioni Apostolica, longè fecundius locum dare possumus, quam quorumcunque hominum, etiam doctissimorum, glossis. Certum ergo est Christum, carnali huic legisperito legem spiritualem idem opposuisse, ut ex vero ejus usu suam infirmitatem agnosceret, & spoliatum & vulneratum esse, ideoque Medicus, qui vulnera sanet & coram Deo defenset, indigere intelligeret, sicuti jam nunc pluribus audiens.

Sequitur ergo parola Samaritani, in qua plerique nihil aliud tractant quam Allegoriam. Et sane fateor illam esse valde jucundam: siquidem eleganter depingit, & quomodo humana natura sit ad mortem usque vulnerata, & quomodo Christus Medicus eam sanet. Verum quia Christo hic principaliter propositum est docere, non justificationem, sed dilectionem atque ostendere, legisperitū adhuc procul abesse ab impletione legis, quoad dilectionem. Idcirco prin-

cipalis scopus parabolæ ante omnia est attenderus. Postea principali scopo tractato, licet *ἀληθεῖαν*, quatenus id fert analogia fidei. Quod vero charitatis studium & exercitium hac parola potissimum nobis commendetur, & non ratio justificationis, illud vel inde manifestum est, quod sub finem parabolæ Christus dicit: *vade, & iufac similiter*. Quibus verbis non vult legisperitum cœlestem Samaritanum imitari, in redimento uno aut altero homine ex spirituali sua corruptione, sed in exercitio charitatis: aut, si id haeciem non fecerit, ut certe, nunquam fecit, neque facturus erat, vult ipsum agnoscere, quod adhuc procul absit ab impletione legis de dilectione. Si autem Christus disertè legisperito dixisset: tu nescis, quis sit tuus proximus: tu nescis quid sit diligere: non satis quod Judæos aut bene meritos salutas, non pulsas: tum legisperitum, qui fuit hypocrita, offendisset, qui absque dubio indignus abuisset, sibi ipsi persuadens, se probè legi satisfecisset. Ideoque quemadmodum Nathan 2. Samuel. 12. v. 1. regi Davidi in tertia persona suum lapsum proposuit, ut ipsius judicium eliceret: ita, quia omnes homines promtores sunt in judicandis aliis quam seipsis, etiam huic legisperito per parabolam in aliena persona considerandum proponit, quam procul ipse adhuc à perfectione dilectionis absit. Nec posset etiam hunc hodie nobis pulchrius ob oculos pingi, quam rara, quam simulata charitas, quomodo ea refixerit, quomodo in labii potius haret, quam opere perficiatur, non tantum quod vulgus hominum, sed etiam eos qui cum eam sciunt, tum de ea docent, quam id factum est in hac parola.

Verum audiamus Christum. De eo dicit Evangelista: *Ιησος ὁ τὸν λαὸν συσκιπεῖς*, non suspiciens, ut habet vulgata versio. Nam *ὁ τὸν λαὸν συσκιπεῖς* usurpatur, ut significet aliquis sermonem excipere, seu respondere. Sic Plutarchus de def. orat. *ὑπολαβὼν γὰρ θεοῦ Αμμώνος ἀπάτην*. Et fortassis Evangelista hoc verbo propterea usus est, ut innueret Christum ipsum suscipisse laborem ad propositam questionem respondendi, cum responsionem prioris questionis in interrogante rejecerit.

Dixit ergo Iesus: *Homo quidam descendebat ab Hierosolymis in Hiericho*. Deus enim jam post lapsum cursum humanæ vita sic moderatur, ut nec uni homini, nec uni aliqui civitati vel regioni omnia, sed singulis aliquid peculiariter dederit, atque sic bona sua in universo orbe distribuerit, ut quælibet regio, & habeat quæ aliis communicare possit, & quibusdam careat, quæ altiude importari necesse sit. Sic horti Hiericho abundarunt balsamo & aliis delitiis, quibus magnates Hierosolymitani carere non poterant. Et hanc distributionem Deus ideo ita instituit, ut inter homines vigerent commercia, atque efficerent certa rerum communio: quæ ipsa esse debebat officina ac proba charitatis mutua. Etenim qui in extremo habitant, & solitari vivunt, illi quidem charitatem sibi fingere, aut de ea differere possunt: at in commerciis dilectio exercetur & probatur. Hic ergo Hierosolymitanus civis professionem instituit Hiericho versus, negotiorum suo-

inorum expedientorum vel commerciorum trastandorum causa. Sed in medio positus est locus, frequentibus homicidiis & latrociniis infamis. *Adomin* dicitus: quem ne hodie quidem viatores sine conductu transeunt. Ibi etiam hic homo (nam parabolam Dominus verisimiliter recitat) in latrones incidit, qui cum initio vestibus depolaverunt cum omnibus quae habebat: neque his contenti, insuper vulnera ei inflixerunt, sicut que abeuntis ipsum semimortuum prope viam jacentem reliquerunt, mox penitus periturum, si nemo succurreret, ut qui nec ipse libi open ferre, nec medicum querere posset. Hoc certè latronum factum, non est opus dilectionis, quod omnes, etiam latrones ipsi, intelligunt. Et hinc videmus, quomodo charitas in genere inter homines sit oblitterata. Deus instituit commercia, peregrinationes, profectiones, ut essent officina exercenda dilectionis: sed ecce, ferè nullibi fraudes plus dominantur, nullibi plures fures, pradones, latrones inveniuntur, quam ubi otiosi homines & validi mendicantes, noverunt opulentos mercatores iter facere, quibus insiduntur. Unde etiam Syracides dixit c. 27. v. 2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emtionis angustiabitur peccatis. Quicunq; ergo sive fraude & dolo, sive aperta vi proximum circumvenit in negotiacione, ille non exercet opus dilectionis. Et hoc est unum membrum parabola.

Jam porrò si quis maximè non sit ex numero latronum, nec vulnera misero inflixerit: & tamen si transeat, sit *επιχαιρέας*, qui alterius damnatio latatur: Euge, euge, dicat. Tum etiam hoc ratio judicare potest, quod non sit diligere. Itaque tales Christus suo reliquit loco: & potius introducit *Sacerdotem* atque *Levitam*, quorum uterque ad eundem locum pervenit. Et quidem *Levite* non ignotum fuit præceptum dilectionis proximi, ut qui templo deditus sacris operaretur, & frequenter legis prælectionem audiret. *Sacerdos* autem insuper ex lege alios dilectionem docuit. Verum cum præceptum ad praxim est transferendum, ubi uterque & *Sacerdos* & *Levita*, id intermittunt. Si quis hisce dixisset, eos peccare contra quintum præceptum, eos negligere legem dilectionis, ei contradixissent, & se excusarent, dicentes: Non novimus quis hic sit: non una cum ipso iter ingressi sumus: nos aliquaproperamus nostrorum causa, non possumus hie moras necesse, ut maturè Hierosolymam revertamur ad sacrificia nostra, in quibus plus momenti positum est: adhac quomodo nos peccamus contra dilectionem, quum vulnera ipsi non infigamus: cum nec verbis ipsum subsannemus, nec opere lèdamus? Sic illi se excusatur fuisserint: & tamen qui penitus rem intueretur ille omnino fatebitur, utrumque contra dilectionem peccasse, eo quod hominem, eumque omnibus extum, adhac vulneratum, mox periturum, & ab omnibus deritum, qui ipse sibi succurrere non poterat, atque insuper *Judaus*, ipsorum popularis, concivis & frater erat, negligenter, & sine omni fraternæ commiserationis affectu præterirent.

Postremò venit *Samaritanus*. In quanto au-

Harm. Tom. I.

tem odio inter se vixerint *Judaï* & *Samaritani*, ex Evangelica historia omnibus notum est. Huic certe caro suggestere potuisset: en, hic jacet hostis tuus, *Judaus*: Euge, euge. Idem multas excusationes, easq; speciosas, necesse potuisset. Ego sum homo peregrinus: quis hic sit ignoror, cum *Judaï* haec tenus eum neglexerint, quis scit an ob maleficium aliquod ita sit mulctatus, adhac Ego versor in hostili terra: & si maxime ei vellem succurrere, quid si supervenirent latrones, & eodem modo quo hunc, etiam me exciperent? aut quid si *Judaï* supervenirent, meque tanquam *Samaritanum* in suspicionem vocarent, ac si ego hostis tam male ipsum mulctasset, atque inde me comprehensum ad judicem traherent, ubi pro beneficio maleficium accepturus essem? Hæc & multo plura *Samaritanus* pretendere potuisset. Verum nihil horum ipse fecit: quin potius talem se gessit, ut ex omnibus actibus illustria dilectionis indicia & documenta defum possint. Nam 1. ipsum videntes *επιχαιρέαν*, intima cordis *misericordia* motus est, licet is genere alienus, *Judaus* & hostis fuerit. Habuit ergo talem *σογγίῳ* erga peregrinum, qualis natura parentibus erga liberos implantata est. 2. Deinde neglecto itineris dispendio, proprius ad eum accessit. Vera enim dilectio non in nulla commiseratione acquiescit; sed occasionem querit re ipsa miserum sublevandi, eique officium aliiquid praestandi, ex quo consolationem capiat. 3. Postquam miseriam hominis propius aspexit, mox opem afferre incepit, & quæ ad vitam ipsius servandam facere intellexit, adhibuit. Nam vulnera ejus obligavit, prius *infundens oleum ac vinum*, quæ sibi pro viatico assumerat. Utrumque fuit praefenti malo accommodatissimum: si quidem vino vulnerum crux & sanies eluitur: oleo autem seu balsamo doloris acerbitas lenitur, & vulnera sanantur. 4. Nec hoc officio contentus, imponens illum in suum jumentum, ipse pedes reliquum via confecit, itineris labore & fatigatione sauciati labore & fatigationem levans. Inde eum in diversorum duxit, ibi diligentiorem curam ejus egit, adhibens medicos & chirurgos, quorum opera miseris pristinæ sanitati restituerebatur. 5. Denique cum posero die negotia alio ipsum vocarent, licet haec tenus satis cumulate beneficia in ipsum contulisset, nondum tamen ipse sibi satisfecit, nec hospiti meritorio propriis sumptibus curandum reliquit; sed *deprimos duos denarios* hospiti dedit, diligenter ei ipsum commendans, & ut tantisper ejus curam haberet rogitans, in modo insuper se fidejusorem sistens, pro impensis, quas in sua absentia ad redditum usque facturus esset.

His omnibus pulchre & decenter exaggeratis. Christus suum antagonistam interrogat: *quis horum trium* videatur tibi proximus esse illi, qui in latrones incidit? Hic rei veritate & evidencia convictus respondet, quod is fuerit: *qui exercuit misericordiam in illum*. Hochypocrita ista nunquam responsurus fuerat, si Christus simpliciter & absque involucro rem proposuisset. Vulgaris enim *Judaorum* & *Phariseorum* opinio fuit, tantum *Judaos* sibi invicem propinquos esse, licere autem *Samaritanos* & quosvis gentiles averari. Sic vero respondens, seipsum haec tenus neglectæ charitatis

Bbbb 4

tatis damnavit. Unde Christus concludit, & infert: *Vade, & tu fac similiter,* quasi dicat: Sieut hic Samaritanus se proximum exhibuit huic misero, licet genere alienus fuerit: ita tu proximum agnoscas, quemvis ope tua egentem, si in eum incideris: nec tantum proximum agnoscas, sed & misericordia affectu eum movearis, & quacunq; ratione potes illum juves, *Hosea illud tibi in memoriam revocans:* Misericordiam volo & non sacrificium.

Hic est verus & genuinus hujus parabolæ a Christo propositæ sensus. Ex qua Ecclesiarum ministri occasionem sument, de charitate apud suos auditores differendi, eosq; ad hujus virtutis æxhortandi. Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur, Christi vaticinium nimis nostra ætate verum est, quo prædictis Matth. 24. v. 12. Abundabit iniquitas, & refrigerescet charitas multorum. Item Pauli 2. Timoth. 3. v. 2. In novissimis temporibus erunt homines φιλανθρωποι, seipso amantes. Ubi Apostolus φιλανθρωπος ponit fontem omnis mali, neque immerito. Nam amor proprius pervertit judicium; obfuscat rationem: obscurat intellectum: corruptit voluntatem: venatur honores: negligit animæ salutem. Est instar hederæ, que passim sua sponte inventit, quo se alliget. Animi ergo auditorum ab amore proprio abundandi, & amore DEI atque proximi extimandi sunt. Qui Deum diligit, idem etiam proximum diligat propter Deum. Hæc erga proximum charitas debet esse officiosa, qualem in hoc Samaritano videmus: in quo charitas benigna est, patiens est, omnia suffert, omnia sustinet. 1. Cor. 13. v. 4. Quid potest frater fratri charissimo facere, quid pater filio unigenito in ejusmodi necessitate, quod Samaritanus non fecerit huic Iudeo? Nulli parcit labori, nullis sumptibus, imo ne pericula quidem reformidat, duntaxat miseri huic saluti consulatur. Dicunt ergo etiam nostri homines, miseris & afflictis condolere, iudem opem ferre, eos pro virili juvare, citra discrimen personarum: si modo pro veris Christianis haberet velint. Sed o nostram plus quam ethnican æsogian, quæ tum ferè sele exerit, quando Deus nos ob peccata nostra peste punit: ibi se penitentio non vicini tantum & agnati, sed etiam fratres & sorores, parentes & liberi, quin & conjuges erga se invicem charitatis officia exercere obliviiscuntur. Non jussero quenquam, ut se sponte & temere periculo objiciat, siveque proprii corporis homicida efficiatur, dum contagiosis locis se se absque ulla vocatione & absque necessitate ingredit. Ibi enim locum habet Sapientis illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Itaque qui nec ratione vocationis, nec alio vinculo conjunctiois aliis obstrictus est, ut ille securitati sua confusat, nec incendium alioquin grans sua temeritate augeat & latius spargat, nunquam improba vero. Singuli tamen viderint, ut sic sibi ipsis consulant, ne proximus negligatur, neve per immisericordiam in leges charitatis peccent. Prætexunt quidem multi multa, quibus se excusant: sed illæ ipsæ excusationes vix apud homines iustum locum inveniunt, quid ergo in judicio Dei futurum putabunt? Sed de his pluribus differere alterius est loci.

In primis autem antistites Ecclesiarum, Doctores & pastores, exemplo hujus Jadaici Sacerdotis & Levitæ præmoniti sint: ne idem ipsis quod illis objici possit, quod præ vulgo sancti haberi volunt, quia nimurum doctrinæ vacarent, & ceremoniis sacris peragendis occupati essent, dum interim prophanus Samaritanus, & pietate & charitate, coram DEO ipsis superior fuerit. Quin potius bono exemplo aliis præbeat, & quod ex sacrificiis alios de pietate, charitate, misericordia & beneficentia docent, facto ipso etiam explore studeant.

Porrò, quia Christi mos est in vulgaribus parabolis etiam sublimiora aliqua mysteria nobis commendare: ideo Patres, in primis Augustinus, Ambrosius, Hieronymus & alii, etiam ex hac parabola mysterium redēctionis per Christum perfectæ explicare & suis ob oculos proponere co[n]nat sunt. Horum diligentiam nos improbare non possumus, neque Allegorias illas, cum aliis quibusdam, ceu ineptas & insulsas rejicimus: sed ipsorum vestigia legentes, & nos illas obiter tractabimus. Etenim quemadmodum alias in aliquibus sententiis, ita certè hic in parabola admodum eleganter nobis summa nostri Christiani ob oculos pingitur: quæ in tribus hisce consistit. 1. In doctrina de corruptione naturæ nostræ. 2. in doctrina de reparatione ejusdem & justificatione. 3. deniq; in doctrina de nova obedientia. Singula breviter inspiciamus.

I. Principio igitur rerum omnium conditor Deus, ob immensas bonitatis & magnificentia sua opes, hominem, imagine sua decoratum, ad eum finem destinavit, quo major nullus cogitari potest; nimurum ut æterna felicitatis & beatitudinis secum particeps fieret. Hominem ergo in summa perfectione creatum esse novimus: sed qualis illa perfectio fuerit, nec cognoscendo nec eloquendo assequimur. Et hæc est pars aliqua originalis nostræ corruptionis, quod nec agnoscamus, nec sentimus, quantopere sumus depravati: sed ipsi nobis placemus, quasi probè adhuc boni essemus. Quapropter lex in eum finem data est, ut illa aliquo modo ostenderet, qualis illa perfectio fuerit. Quod nimurum tali facultate prædicti fuerimus, ut potuerimus Deum diligere ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos. Fuit ergo homo originali justitia, ceu regia corona decoratus, qua Deus ipsis immortalitatem & imperium supra cuncta animantia, & (quod erat multo majus) supra seipsum, hoc est, supra omnes affectus & motus animæ sua donavit, rerumque omnium scientiam, quæ ad status illius dignitatem pertinebant contulit. Neque hanc justitiam solum, sed gratiam quoque & celestes virtutum habitus in mentem ejus infudit: illam quidem ut animam Deo grata & amabilem redderet, hosce vero, ut eandem operosam, seu ad omnia virtutis officia exercenda potentem faceret, atque ita demum puritatis & sanctitatis divinæ participem efficeret, ejusque imaginem his virtutum gemmis clariorem & pulchriorem redderet. Et dum Adamum in hac perfectione perficit, fuit in Hierusalem, hoc est, in visione pacis, & in summa felicitate, alienus ab omni prorsus miseria, ægritudine, ignorantia & mortalitate.

In

In hoc autem honore constitutus, antiquis ser-
pentis astutia in fraudem conjectus, Deique præ-
ceptum transgressus, cùm innocentia simul justi-
tiam & gratiam, quam acceperat, amisit. Et idem
accidit Adamo, quod interdum illis, qui ex curio-
sitate aliqua peregrinantur. Hui profectiones suas
in eum finem instituunt, ut nova bona acquirant
& multum lucentur, sed sèpenumero falluntur,
& sit, ut in latrones incidant, & loco lucri, vitam
cum bonis amittant, maximè si pravo sodalitio se-
sse assident. Sic Adamus se à diabolo associavit,
& cum ipso ab Hierosolymis descendit in Jericho, ex
statu perfectionis & stabilitatis, in statum muta-
bilitatis. Jericho enim lunam significat, quæ est
mutabilis. Syrac. 27. v. 12. Voluit fieri Deo simili-
lis: & ecce similis fit Diabolo, Dei hostis & otor.
Nam ipsi diaboli fuerunt illi latrones, qui Ada-
mum & omnem ejus posteritatem expoliarunt
donis gratiæ, quæ ipse acceperat, & vulnerarunt
quoad bona naturæ. Lapsus itaque Adami quasi
dirum quoddam naufragium fuit, quo preciölae
coelestium donorum merces, magno generis hu-
mani malo amissæ sunt. Ex justo nimirum injus-
tus, ex sapiente stultus, ex beato miser, ex immor-
tali mortalis factus est. Quemadmodum enim
cadavera myrrha condita à vermis & putrefac-
tione incorrupta servantur, qua sublata corrumpuntur & vermis scatent: sic quamdiu justiti-
am & gratiam homo retinuerat, ab omni corrup-
tionis & peccati injury immunis erat; ubi ve-
rò illa dona amisi, protinus vermis & corrup-
tioni obnoxius factus est. Reversa itaque lamentabilis
fuit hæc profection: quæ nihil aliud effecit,
quam quod postea Adamus cum omnibus suis
posterioris in hac lachrymarum valle ad extrellum
vita halitus usque peregrinari coactus est. Hanc
corruptionem naturæ nostræ Christus in hac pa-
rabola nobis considerandam proponit. Sed sicut
nos perfectionem amissam non intelligimus: ita
nec corruptionem acquisitam rectè agnoscimus.
Unde Smalcaldici Articuli verè testantur,
peccatum originis tam profundam & tetram na-
ture nostræ corruptionem esse, ut nullius homini-
nis ratione intelligi possit, sed ex scripturæ paten-
tiatione agnoscenda & credenda sit. Adamus &
Eva, generis nostri principes, qualis corruptio
fuerit, sensere: qui, ubi Dei præceptum viola-
rent, se nudos & pudore affectos deprehenderunt,
ac proinde folia ficuum quæsiverunt: quod ante
simplicitatis & gratiæ opibus ornati neque
adverterant, neque ob id erubuerant. Nobis ve-
rò jam lex data est, quæ monstrat & exigat per-
fectionem. Et quando eam non præstamus, tum
iram operatur, Roman. 4. v. 15. & mortem mi-
natur. Itaque usum legis divinæ rectè agnoscere
discamus.

Plerique existimant legem à Deo datam esse,
ut per eam vivificemur. Sed in eo graviter errant.
Lex id postulat, quod nos præstare non possumus:
ac proinde non vitam, sed mortem operatur,
2. Cor. 3. v. 7. Nam qui ex operibus legis sunt, sub
maledicto sunt, Galat. 3. v. 10. Item. Si data esset lex,
quæ posset vivificare: verè ex lege esset justitia. v.
21. sed lex infirmatur per carnem. Rom. 8. v. 3. Et
tamen Deus dígito suo scripsit Decalogum, non
tum cum integra sed cum lapsa esset humana na-

tura, & cum sciret illam nobis servatu esse impos-
sibilem. Idque fecit propterea, ut nobis (ceu spiritualiter phreneticis sicut supra quoque dictum est)
monstraret nostram impotentiam, & eo nos de-
duceret, quo agnosceremus nos esse in ira Dei, &
sub maledicto legis. Matth. 27. v. 26. Jacob. 2. v. 10.
Qui in uno offenderit, factus est omnium reus.
Ergò non sufficit novissime lapsum Adami: sed prod-
est Decalogum sèpibus in manus sumere, & ad
ejus amissum examinare vitam, ut sic sentiam no-
stram corruptionem, & quæramus medicum; sen-
tiamus iram Dei, & quæramus Mediatorem seu re-
conciliatorem. Agnoscamus nos esse semimortuos.
Quid est esse semimortuum? Nihil aliud: quam
ad quædam opera esse vivum, & ad alia quædam
opera mortuum. Mortui nimis sumus ad bo-
num: ad malum autem vivacissimi. Juxta illud
Jer. 4. v. 22. Sapientes sine ut faciant mala, bene
autem facere nesciverunt.

II. Quid igitur? Num quia nos legem servare
non possumus, Deus illud tacitus neglet, aut
non curabit? Minimè verò. Nam cœlum & terra
transibunt, sed ne unum quidem iota aut apex u-
nus de lege præteribit, donec omnia fiant, Matth.
5. v. 18. Philosophi & Pelagiani hanc naturæ cor-
ruptionem aliquo modo sentientes, remedium
quæsiverunt in ipsa natura & residuis ejus viri-
bus. Sperantes, si ingenium studiis & discipli-
nis exceleretur, vita autem rectis moribus insi-
tueretur, tum illud ad sananda hæc vulnera suffi-
cere posse. Sed revera hæc ipsa sunt folia sicuum,
qua naturalem fœditatem nequaquam conte-
gunt. Et quantum hic vulneratus ad sui sanatio-
nem ac restitutionem conferre potuit: tantum
etiam homo ex viribus liberi sui arbitrii ad
sui justificationem conferre potest. Alii ergò hoc
agnoscentes, & in primis Judæi, ad divina præsidia
ac medicamenta configerunt. Scilicet ad leges
Dei sanctissimas, quas à Deo propterea promul-
gatas, & ipsius dígito tabulas inscriptas statuere,
ut illis rursus iter ad immortalitatem patefaceret,
atque homines & bonos & beatos efficeret. Adje-
cit sanè Deus in favorem legis, ejusdem cultori-
bus, magnificissimas promissiones: Custodite
leges meas, inquiens, atque judicia, quæ faciens
homo vivet in eis. Lev. 18. v. 5. Tum insuper sacri-
ficia addidit, ut si quando in leges peccatum esset,
expiandi criminis ratio in promptu esset. Sed quid
etiam hac medicina profectum est? Illud Apo-
stolus Paulus apertè indicat his verbis: Lex subin-
travit, ut abundaret delictum. Roman. 5. v. 20. Et
rurus Roman. 7. v. 9. Cum venisset mandatum,
peccatum revixit. Ego autem mortuus sum: &
inventum est mihi mandatum, quod erat ad vi-
tam, hoc esse ad mortem. Non ergò legis do-
ctrina, non expiationis sacrificia, ad sananda a-
nimorum vulnera salutarem opem hominibus
conferre possunt. Quod planè in curatione hu-
jus à latronibus vulnerati hominis, Sacerdos &
Levita præterentes, designant. Neuter enim sa-
lutem vulnerato aut medicinam contulit. Ne-
minem enim lex ad perfectum adduxit. Hebr.
7. vers. 19.

An ergò præclusa est omnis via ad salutem?
Si enim neque disciplina Philosophiæ, neque
lex à Deo data, nos ad perfectionem reducunt,
quæ

quæ nos spes reliqua manet? Id nos docet Evangelium Christi, in quo Christus ipse se vocat *Samaritanum*, ut sic se opponat Judæis. q. d. Vos nuper per convitum me *Samaritanum* dixistis: sed nisi hic ipse *Samaritanus* vos juvet, in æternum peribitis. Nam nullum sub caelo datum est non men, in quo possint homines salvificari, præterquam nomen Iesu. Act. 4.v.12. Hæc ergo est vera & unica ratio salutis nostræ: quod æternus Dei filius ineffabili *misericordia motus*, relicta cœlesti Hierosolyma in inconstantem & peritulum hunc mundum venire dignatus est. In eo nobis *appropinquavit*, dum humanam carnem induit, eam personali vinculo sibi colligatam ad divinitatis communionem sustulit, in ea primum omnem corruptionem removit, divinis dotibus & prærogativis eam exornavit, & postea in ea pati, & prototius humanae carnis corruptione satisfacere, sicut nos per fidem assumptos in integrum restituere voluit. Hoc immensum filii Dei opus, quando in Evangelio nobis annunciatum, & nos credula mente illud suscipimus, tum *beate sunt aures, quæ audiunt quod nos audimus, & beati oculi, qui hunc Dei filium in victimam à Patre missum vident & suscipiunt.*

Cæterum attendendum etiam, quomodo Christus nos tractet, & quid nobiscum agat, si velit nobis suam passionem & mortem conducere ad salutem. Etenim thesaurus salutis acquisitus est pro omnibus hominibus: sed non omnes eo frumentur. Culpa non est cœlestis nostri Samaritani, qui omnibus hominibus æque *appropinquavit*, uni tam propinquus per incarnationem factus quam alteri. Eundem etiam thesaurum in Evangelio tam Judæis & legisperito offert, quam discipulis. Sed non omnes eum suscipiunt: *non omnes videre & audire, volunt.* Quia Christus peculiarem viam a rationem obliterat in nobis curandis & sanandis, quæ non omnibus adlubescit, unde multi refractarii facti sua culpa in miseriis suis harent & pereunt. Quæ ergo est ratio nos sanandi? 1. *Infundit vinum & oleum.* 2. *Vulnera obligat.* Hæc admodum aptè hoc modo explicantur: quod *vinum* denotet lègeri, cuius acrimonia saniem ex virtuosa carne eluit, & salutarem Dei timorem implantat: *oleum* est gratia Evangelii, quæ virtus est ad salutem omni credenti, & nos rursus ad amorem Dei excitat. Sacraenta autem sunt quasi *alligamenta*, quibus labra vulnerum rursus coeunt, per quæ etiam virtus passionis & meritorum Christi nobis applicatur.

Hæc sane expositio plana est: sed omne jam in eo situm est, si quando cœlestis hic Samaritanus ad nos accidit, si *seorsim se ad nos convertit*, & in specie nostra vulnera extergere atque obligare coatur, ut attendamus, quomodo nos eum admittamus, & qualiter nos geramus. Etenim si vulneratus chirurgi operam non admittat, si nec vino nec oleo vulnera elui patiatur, si ligamenta revellat & abjiciat, tum nunquam is ad sanitatem reducetur. Atqui in spirituali hac sanatione quam plurimi id faciunt. Quando *vinum infunditur*, lex adhibetur, peccata arguuntur, quidam sunt *avādōtai*, qui omnem sensum amiserunt, ut si maximè increpationibus & minis iræ divina eos obtundas, nihil tamen efficias: sunt *ἀπηγκότες*, qui jam du-

dum dedoluerunt, & seipso proterviæ dedidierunt, ad certam patrandam omnem impuritatem. Eph. 4.v.29. Hoc si in vulnerato fiat, ut vini acrimoniam non sentiat, tum malum id est judicium recuperanda sanitatis. Sunt postea alii, qui nimis subtiliter sentiunt, & quando vinum infunditur ægrè id ferunt; tantum oleo sua vulnera leniti volunt, ac proptera ligamenta firmiora abjiciunt, nil præterquam gratia benignitatem audiunt cupientes. Hoc qui faciunt, & qui vinum ac ligamenta tolerare nolunt, de iis etiam perexigua spes est. Propterea enim verbi ministri sal terra Math. 5.13, dicuntur: quia acrimonia legis prius corruptæ carnis putredinem quasi erodere debent, quam oleum gratia infundatur. Quapropter consultissimum est ut eodem modo nos tractare sinamus, quo hic vulneratus, qui quasi merum fuit subjectum patiens: vinum legis patienter toleremus, oleo liti & gratia ejus perfusi oculos fidei attollamus ad hunc serpentem nobis in hoc deserto mundi suspensum Num. 21. v. 9. Tum enim ipse nos *impunit in suum iumentum*, h. e. suo quasi incommodo nostra commoda querit. Vulneribus quippe suis nostra vulnera sanat: vinculis suis vincula nostra tollit: verberibus suis debita nostra dissolvit: laboribus suis requiem æternam nobis promeretur: sanguinis sui precio nos à Diaboli captivitate redimit: humilitate sua nos ad cœlestem gloriam attollit: crucis deniq; supplicio nobis cœlestè regnum mercatum est. Annon hoc est à jumento descendere, & aegrotum supra illud ponere? Nos igitur ad diversorum, nimirum ad Ecclesiam, deportati, omnia illa patienter & feramus & faciamus, quæ ipse in salutem nostram ex duobus testamento Veteri & Novo (Hi enim sunt duo quasi denarii, unius Regis imaginem habentes, nimirum utraq; testamenta sunt eloquia Dei. 1.Petr. 4.v.11.) protulerit: certi, quod si firma fide ipsi adhæserimus, per eam coram Deo in hac vita simus justificati, & post hanc vitam æternam salutis hæredes futuri. Παντοχεῖον quoque seu *bōsper*, hoc est, per hunc adunctorum verbi ministri, diligenter vulneratorum fidei sua commissorum curam habeant, nihil addubitantes sibi in caelo amplissima præmia aſſervari, quæ profidilitate sua sint accepturi. Dan. 12.v.3, & 1.Tim. 3. v. 13. Qui bene ministraverint gradum bonum acquirent, & multa fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. Verbum σεσδαπανῆ insuper insumere, vel sumtibus sumtus addere, verbi ministros ad summam diligentiam instigare debet. Christus Samaritanus per se est δαχηλῆς, largus & liberalis, atque duo illi denarii ad salutem reparandam pro agris sufficere possunt: sed si Ecclesia Doctor in interpretatione divinorum sermonum utiliter aliquid, quod fidei αὐλογοῦ sit, & pro temporum atque personarum conditione ædificationi & confirmationi inferuit, addit, noverit se mercedem suam nequaquam amissurum.

Hac ratione & his medicamentis Christus Jesus cœlestis noster Samaritanus, collapsum hominem instauravit, amissam per peccatum gratiam reparavit & vulneratum à latronibus sanavit, quem neque Sacerdos neque Levita, hoc est, neque lex, neque sacrificia ad sanitatem reducere poterant. Ad hunc modum primo nostro patria-damo sanitas rursus obtigit. Bonè Deus, quam mi-

ferabiliter ille prostratus & nudus jacuit in horto Eden, ubi se post arbores abscondit? Accessit filius DEI, & primo quidem *vinum infundit*: atrocitatem peccati & inobedientia ipsi ob oculos ponens, labores, ærumnas & mortem ipsi denuncians. Deinde vero etiari *oleum gratia addidit*; erigens ipsum rursus promissione Evangelii, de venturo femine mulieris serpenti caput contritruo. Inde & Adamus revixit, & conjugi nomen Hevæ, tanquam matri cunctorum viventium, indidit. Eadem est ratio omnium justicandorum: sicuti id exemplis Davidis, Manassæ, Petri, Pauli & aliorum commonistrari potest. Hi omnes re ipsa experti sunt, se per Christum acceperisse remissionem peccatorum, & ab omnibus, à quibus per legem Moysi non potuerant justificari. Acto. i. 3. v. 3. 8.

III. Hoc idem vere & nos credimus. Num ergo ita absoluti sumus à lege Dei, ut illa profrus nihil ad nos pertineat? Nequaque. Nam tantum secundum quid liberati sumus à lege. Nimurum 1. Absoluti sumus à lege, quoad ejus maledictionem: quia jam non amplius sumus sub lege, sed sub gratia. Rom. 6. v. 14. & jam nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Iesu. 2. Deinde absoluti sumus à lege, quoad justificationem: quia ex operibus legis non justificatur omnis caro coram DEO. Rom. 3. v. 20. Sed 3. non sumus absoluti ab obedientia legis. Nam & renati seu justificati debitores sunt: non carni, ut secundum carnem vivant: sed ut Spiritu carnis facta mortificant. Rom. 8. v. 12. Certe in hac parabola vulnerata restituitur sanitas, non ut perpetuo à bajulis portetur, aut à pandocheo ipsi cibis in os ingeratur: sed ut ipsemet rursus incipiat ambulare, & opera sani hominis exercere. Ita justificatis datur spiritus renovationis, ut nova obedientia, utcunque sit languida, tamen inchoetur. Ideo Christus hic dicit: *Vade*. Hic Imperativus positus est loco Interjectionis hortantis: *Agedum fac tu similiter*. Hoc est, quando fide es justificatus, tum legem reassume & quemadmodum tu misericordiam es consecutus à DEO: ita vicissim misericordiam exerce erga proximum. Et notatu dignum est, quod Dominus Iesus bis legisperito dixit *fac*: plane diverso sensu. Primo, cum legisperitus, adhuc persuasione Pharisæica ebruius, existimaret se in lege DEI justitiam & beatitudinem invenire posse, dicit ei Christus: *fac hoc & vives*. Volens ipsi ostendere suam infirmitatem, quod nec DEUM toto corde, nec proximum ut seipsum diligere possit, cum nondum sciat quid per *proximum* sit intelligendum. Atque sic illud *fac hoc*, pertinet ad secundum usum legis, quo severum examen operum in judicio DEI instituatur, ut ita homines ad agnitionem sua miseria & imbecillitatis deducantur, & scient extra se querendam esse aliam justitiam, quam sit justitia operum. Postea vero, cum Legisperitus agnosceret, Samaritanum rectius executum esse dilectionem proximi, quam

fererint Sacerdos & Levita, ibi Christus rursus dicit, *fac tu similiter*. Volens ipsi ostendere formam novæ obedientiæ: quod justificati non debeant excogitare hovos cultus sine verbo, sed scire hanc esse DEI voluntatem, ut obedientiam inchoent quoad ipsa Decalogi præcepta.

Et licet in hac ipsa nova obedientia omnes facteri cogantur: quod spiritus quidem sit promptus, caro autem infirma. Item, unusquisque cum Paulo dicat: Merite servio legi DEI, carne autem legi peccati. Rom. 7. v. 25. Et v. 22. Delector lege DEI secundum interiorem hominem: video autem legem in membris meis repugnantem. Idcirco hæc languida principia exhortationibus & promissionibus sunt excitanda atque urgenda: & prodest sèpè considerare causas, quæ nos impellere debent ad studium bonorum operum. Quomodo iis studere debeamus 1. propter mandatum DEI, qui vult, ut liberati ex manibus latronum & hostium nostrorum, ipsi serviamus in sanctitate & justitia omnibus diebus vita nostra. Luc. 1. v. 75. 2. propter proximum, ut ei inserviamus, bono exemplo aliis præeamus: nec quenquam offendamus. 3. Propter nos ipsos, ne fides rursus executiar: sed ut ea in exercitio bonorum operum crescat & augeatur. Nam quidam repellentes bonam conscientiam naufragium passi sunt circa fidem. 1. Timoth. 1. v. 19.

Hæc est illa allegoria, quæ ex dicta parabola desum potest. Et licet D. Hieronymus recte dixerit: Nunquam parabolæ vel dubia ænigmatum intelligentia potest ad dogmatum autoritatem proficer. Si tamen dogmata ipsa alibi in Scriptura disertis verbis proponantur, non inutiliter hujusmodi Allegoria ad illa illustranda assumuntur. Illi ergo, qui primitias Spiritus accepunt, si plenè sanari cupiant, ipsi Medicum adeant, ejus opem assiduis precibus humiliter implorent, ipsius monitis ex lege de promptis obtemperent, clarissimis ejus beneficis mentem suam leniant, salutarem doctrinam & Sacramentorum alligamenta, quæ sanandis vulneribus instituta sunt, frequentent. Sic fieri, ut vulnerum sanitatem, peccatorum veniam, DEI favorem, Spiritus sancti gratiam, & denique cœlestem gloriam per Jesum Christum adipiscantur.

D. Ambrosius hujus parabolæ sensum aliter explicat. Putat enim Dominum ea voluisse indicare, se esse illum proximum, qui à Scriba sit diligendus. Et quia idem simul sit DEUS & homo: idcirco nos ipsum tanquam hominem debere diligere sicut nos ipsos: tanquam DEUM autem debere diligere ex toto corde, & toto anima. Ut sic in Christo Iesu utrumque dilectionis præceptum plenè adimpleatur. Verum quia hæc explicatio est coactio, ideo illam suo relinquimus loco, & priorem sequimur.

C A P U T C V I .
CHRISTUS DIVERTIT AD MARTHAM
ET MARIAM. LUC. IO. V. 38.

R A T I O O R D I N I S .

Hic historiæ hic locus in Harmonia debetur, non tantum, quia ipse Evangelista Lucas eam præcedenti directe subiungit, sed etiam quia per se & appositissime illam sequitur. Dubium enim est nullum, quin Christus, postquam lapidibus ex templo Hierosolymitanò expulsus, aliquantis per delituerat, & discipulos suos emissos rursus collegerat, statim seipsum ad iter expedierat, ut ex sanguinaria civitate discederet, quia tempus passionis & mortis sua nondum adveniat. Antequam autem abiret, semel rursus in publicum prodit, discipulos ob sui cognitionem beatos prædicavit, & legisperito tentanti respondit, ut modo audivimus. Cumque in parabola de 4. viris Hierosolymis Hiericho versus iter facientibus locutus fuerit, mox ipse quoq; cum discipulis idem illud iter ingressus est, sicq; Hierosolymis discessit. *Dum ergo irent, ceteris viis regere ad eam, factum est, quod in hac historia describitur: Castellum enim in quo habitavit Martha, cum sorore Maria, & fratre Lazaro, fuit Bethania, sicuti patet ex Joh. II. v. I. Bethania autem sita est in ipsa via tendentibus Hierosolymis in Hiericho. Sive ergo Dn. JESUS circumierit prius etiam in alias vicinas & civitates, Ecclesiæ à se plantatas visitans, sive recta ad Jordanem versus tenderit, certum est hanc historiam in illa profectione Bethaniæ, quam D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis, villam in secundo ab Elia (sive Ierusalem) miliario in latere montis Oliveti sitam esse scribit, accidisse.*

Cateruni hic silentio non prætereundum videatur, Anno Christi 1240. in Concilio Lugdunensi, institutum esse festum Assumptionis sive Migracionis Mariæ beatæ virginis, cui loco Evangelicæ lectionis attributa est hæc historia. Celebrant Pontifici hoc festum quotannis magna solemnitate, ad XV. diem mensis Augusti. Et quidem tanto majori, quanto plus felicitatis hunc diem Mariæ attulisse autumant quam dies annunciationis, nativitatis, purificationis, resurrectionis, vel ascensionis Christi. Horum enim dierum gaudia novis miseriis interpolata esse statuunt: extremum autem illum Assumptionis diem nullam tristitiam obnubilasse, sed ex perpetua conversatione cum filio in gloria beatissimam esse dicunt: Initium huic superstitioni dederunt, ut Augustinus ipse statuit Serm. de Assumptione Mariæ, conjectura devotorum quorundam hominum, qui sic cogitarunt: Henoch in primo mundo non apparuit, quia tulit eum DEUS. Gen. 5. v. 24. Helias fuit levatus in cœlum curru igneo. 2. Reg. 2, 11. & mater Domini computruiisset in tumulo? Confirmarunt quoque illas suas cogitationes ex quarto

præcepto: quod filius, qui semper matrem suam summo amore & veneratione prosecutus fuisset, nequaquam tolerare potuerit, ut illud corpus, quod ipsi incarnato per novem menses hospitium præbuerit, vermis elca fieret, & computre sceret. Et sanè hoc, quo minus factum sit, non est impossibile: verum quod revera factum sit, de eo neque in Scripturis, neque in Ecclesiasticis probatis Scriptoribus quicquam extat. Unde etiam Ephanius in Panario hæc. 78. & 79. nihil hac de re definire voluit, quia nuspiciam quicquam de Maria extet, utrum mortua, an viva in cœlum translata, utrum sepulta, an non sepulta sit.

Multum autem incrementi conjecturis illis reddit fabulosus scriptor Nicephorus Callistus, qui lib. 2. c. 2. 1. 22. & 23. ex revelationibus quorundam & apocryphis libris narrationem fictam contexit de Mariæ Assumptione, quomodo Christus, cum adest tempus, quo dilectissimam suam matrem ex hac lachrymarum valle evocare, & in cœlesti suum regnum assumere vellat, matri miserit angelum, de migratione & suo ad ipsam adventu eam certiore facientem. Et quia Maria libenter prius in hoc mundo Apostolis valedixisset, homines tonitrus & nymbi sonitu confessim ex omnibus finibus congregatos & invisibiliter Hierosolymam per angelos deportatos fuisse, in ædes Johannisi, ubi Maria lecto incumbens, & singulis valedicens atque mandata dans, animam sine omni gemitu filio tradiderit: Imò figuramentum (sic ut fabulae fabulas gignere solent) vires acquisivit: quia affirmarunt, filium in cœlesti pompa cum omnibus choris angelorum, Patriarcharum, Prophetarum & sanctorum de cœlis ad ipsam descendisse, atque beatam animam in triumpho ad summum cœli thronum usque secum adduxisse. Corpus autem cum summa reverentia pheretro, unguentis & floribus sparsis, impositum, cereis ardentibus prælatis, angelis quoq; cœlitus vel præeuinitibus, vel stipantibus vel consequentibus, ex Sion in Gethsemani, Apostolicis manibus gestantibus, & simul mirifica carmina concincentibus, ad sepulchri locum delatum esse: ubi mira miracula referunt, qua partim ad lectum, partim inter deferendum acciderint. Nondum figuramentorum finis. Nam tradunt quadragesimo die post assumptionem anima, Christum secunda vice cum omnibus angelorum choris & sanctis de cœlo descendisse, atque ipsum corpus ex sepulchro ad se assulisse, & in supremum thronum majestatis medianum inter patrem & se, tanquam cœli reginam collocasse. Cujus die iactitia tanta fuerit ut nullis neque hominum neque ange-